



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

5. An sit valida forma absolutionis, si dicatur, Absolvo te, non addendo à peccatis tuis? Et quid est sentiendum, si Sacerdos solum diceret, Absolvo? Et an talis Confessarius sit denunciandus Sancto ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

vellet illum absolvere, non sufficienter absolveret per solum verbum, absolvo. Pari modo non esset sufficiens forma Baptismi si omitteretur pronomen, &c. Ratio verò est, quia actio magis pendet à subiecto, circa quod determinatè verlatur, quam termino, à quo absolvit: ergo major ratio est, ut in Sacramento Pœnitentiæ exprimat subiectum, quod est absolvendum, quam peccata à quibus est absolvendum, sed hæc omnia non procedunt si Confessarius dicat, Ego absolvo à peccatis tuis; nam in illa particula, tuis, includitur, & implicite continetur pronomen, Te. Et ita docet Eminentissimus dominus meus Cardinalis Lugo de sacr. pœnit. disp. 17. sect. 1. num. 24. & post illum Leander de sacr. tom. 1. tr. 5. disp. 2. quest. 4.

RESOL. IV.

An plures possint esse Ministri unius pœnitentis in eadem confessione? Et in textu hujus Ref. apponuntur aliqui casus, quavis raro contingentes pro praxi supradicta questionis. Sed magis difficultas est, an in dictis casibus essent duo Sacramenta, vel unum tantum? Et an quando valide duo simul absolvant, possint simul dicere: Nos te absolvimus? Ex part. 1. tr. 8. & Misc. 8. Ref. 46.

TRACTAT hoc dubium Eminentissimus Cardinalis Lugo de Sacr. pœnit. disp. 13. sect. 7. querens utrum forma absolutionis possit proferri à pluribus ministris, & num. 160. sic respondet, In primis non videtur dubium, quod absolvitio utriusque esset valida; si uterque simul perficeret prolationem formæ, pœnitens esset dispositus, quia utraque esset forma prolata à legitimo ministro super materiam debitam, & non esset major ratio cur una absolutio haberet effectum, quam altera. Dixi tamen si pœnitens esset dispositus, quia cum ille modus accipiendi absolutionem à duobus, & consistendi simul utriusque sit contra Ecclesiæ consuetudinem, multis, quibus consentit Suarez in præfatu. disp. 8. sect. 4. num. 4. putant esse illicitum, & possit ex hac parte deficere dispositio necessaria in pœnitente. Aliquando tamen cessat hæc ratio, ut si moribundo, qui confessionem petit, adveniant duo Sacerdotes, & uterque illum sensibus destitutum absolvat: vel si in naufragio, aut incendio aliquis multis Sacerdotibus presentibus consiteatur, ut ab illis absolvat, vel denique si bona fide id faceret existimans ita licere, in his enim & similibus casibus locum potest habere hæc questio, & nunc dicimus utramque absolutionem concurrere ad gratiam sacramentalem, quia non est major ratio de una, quam de altera. Quod autem aliqui opponunt repugnare duplicem causam adequatam, qualis esset illa duplex absolutio, facile solvitur; Tum quia hæc absolutio causæ physicae, sed morales, ut suppono ex tractatu de Sacramento in genere. Tum quia licet singulae causæ in actu primo essent sufficientes de facto in actu secundo attemperaretur concursus unius propter præsentiam alterius, & causalitas, seu productio gratiæ abesset duplex, sed unica adequata procedens ab utraque causa; sicut quando de facto plures Sacerdotes consecrant eandem hostiam. Tum denique quia in nostro casu facilis dici posset singulas absolutiones habere suum effectum diversum. Hucusque Lugo.

2. Sed notandum est hic pro curiosis cum Dicast. de Sacr. tom. 2. tr. 8. disp. 10. dub. 2. n. 13. casum posse occurrere ad impossibile, qui si contingat videtur

posse, imo & debere absolvi simul à duobus. Nempe si quando quis in prælio vulneratus ad mortem, & morti proximus cepit uni confiteri, & propter periculum supervenientis hostis, Confessarius ante absolutionem fugiat, postea verò cessante illo instante periculo redeat ad moribundum cujus jam confessionem alius Confessarius cepisset excipere, ita ut uterque Confessarius jam præsens sit, & neuter integram confessionem excepisset, sed unus unam partem, alter alteram, pœnitens verò esset jam alienatus à sensibus, uterque posset, & deberet absolvere directè ab iis quæ audivit, ut potè nesciens an illa ipsa, vel alia (saltem ex parte) explicaverit secundo Confessario, cumque fortè sit periculum in mora, poterit uterque simul absolutionem impendere directè eorum quæ audivit, ut cætera simul indirectè remittantur, quæ quidem omnia sunt valde notanda.

3. Sed magis difficultas est, an in prædictis casibus essent duo Sacramenta, vel unum tantum, de qua vide Lugum, & Dicastill. loco citato qui tamen in pluribus inter se discrepant, quibus adde Averlam de Sacram. pœnit. q. 12. sect. 5.

4. Ex his oritur aliud dubium, an quando duo valide simul absolvant, possint singuli dicere; Nos te absolvimus? Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 23. sect. 1. n. 13. valere putat, si sensus non sit, quod uterque concurrat ut causa partialis, sed quòd uterque causet illum effectum, perinde atque si duo consecrent eandem hostiam, verè dicit uterque nos consecravimus hanc hostiam. Vasquez in hac materia quest. 91. art. 4. dub. 1. n. 8. negat valere, juxta ea quæ tom. 2. in 3. part. latius dixerat de Baptismo. Idem etiam docet Cardinalis Lugo de pœnit. disp. 13. n. 176. Vide etiam Coninch. de Sacram. quest. 67. art. 6. dub. 1. num. 43. & ne deferas recognoscere Dicastillum ubi supra n. 39. cum seqq. ubi more suo latè, & doctè hoc dubium pertractat; & ex illo alia plura dubia emanantia curiosè discutit usque ad num. 62.

RESOL. V.

An sit valida forma absolutionis sacramentalis, si dicatur: Absolvo te, non addendo à peccatis tuis? Et quid est sentiendum, si Sacerdos solum dixerit: Absolvo? Et an talis Confessarius sit denunciandus Sancto officio? Ex part. 11. tract. 6. & Misc. 6. Ref. 11.

§. 1. NOVISSIMÈ negativam sententiã docet Pater Ad magis firmam doctrinam hujus Ref. lege Ref. hanc sequens, & signanter in Ref. 1. post seq à lin. 1. per totum §. 1. & vide etiam Ref. eius secundæ annot. & Contrà forma Sacramentorum non debet determinari à materia, sed ipsa debet determinare materiam ad significandum effectum Sacramenti: Ergo si ex se non significat determinatè effectum, non erit sufficiens. Dices secundò, verbum, Absolvere, supponere pro eo, à quo fit absolutio, & ideo non suspendere significationem. Contrà verba quæ non significant aliquid unum, sed possunt significare plura, suspendunt significationem, cum non sit major ratio, cur potius unum quam alterum significant; tale autem est

est verbum, *Absolvo*. Confirmatur: verba *Absolvo te*, non significant explicitè, & formaliter absolutionem à peccatis, sed ad summum virtualiter; ergo non sunt sufficiens forma. Consequentia probatur: forma Sacramentorum causat effectum ex vi suæ significationis: ergo ad cauendum requiritur adæquata significatio formalis, quia causa non potest causare, nisi ejus vis causativa formali modo existat. Hucusque Pasqualigus. Sed ante ipsum ex neotericis hanc sententiam docuerat Joannes Wigers in 3. part. D. Thom. q. 84. art. 3. concl. 4. num. 12. Pater Aueria de Sacram. pœnit. q. 1. 2. sect. 3. & Martinon de Sacram. pœnit. die. 5. 2. sect. 1. n. 7. 8. & 9. in fine.

2. Sed ego puto non esse recedendum ab affirmatiua sententia, quam communiter asserunt Doctores, Ita S. Thomas p. 3. q. 84. art. 3. Caietanus *ibidem* in *summa verb. absolutio*. Sotus in 4. dist. 14. q. 1. art. 3. in fine. Maytonus, q. 1. art. 2. Angles de Sacrament. pœnit. q. 1. Syluester *verb. absolutio*, q. 6. num. 4. Tabiena *codem verbo*. num. 12. Armilla num. 4. Toletus lib. 3. cap. 12. Suarez, t. 4. in 3. part. disp. 19. sect. 1. Valquez q. 84. art. 3. dub. 4. Sylvius *ibidem*. Henriquez, lib. 4. de Sacram. cap. 11. num. 3. Emanuel Sà *verb. Absolutio*. Coninch, *disp. 4. dub. 3. num. 30*. Amicus in *curf. Theolog. tom. 8. disp. 10. sect. 1. n. 11*. Præpositus in 3. part. D. Thom. q. 6. de forma Sacram. pœnit. dub. 1. num. 4. Granadius in 3. part. Contr. 7. tr. 1. disp. 6. sect. 1. num. 6. Lessius in 3. part. quæst. 84. art. 3. num. 16. Fabius in 4. dist. 14. q. 4. *disp. 21. cap. 3. num. 44. 59. & 61*. Mercurus de Sacram. ad 3. part. q. 84. art. 3. num. 1. Remigius in *pract. confess. tract. 5. cap. 5. §. 1. num. 4*. Joannes de Soria in *Epitome Sacram. p. 2. tract. 1. sect. 1. disp. 6. §. circa formam, seu absolutionem*. Martinus de San Joseph in *mon. confessar. tom. 1. lib. 1. tract. 2. de pœnit. num. 7*. Joannes Henriquez in *compend. cap. 3. num. 2*. Petrus à Sancto Joseph in *Idea Sacram. cap. 27. resol. 3*. Caspensis in *curf. Theol. tom. 2. tract. 24. disp. 2. sect. 4. num. 40*. Opatovius de Sacram. tr. de pœnit. disp. 1. quæst. 3. num. 26. Tannerus tom. 4. Leander de Sacram. tom. 1. tr. 5. disp. 2. quæst. 7. Moscosus in *Summa tract. 6. cap. 13*. Cardinalis Lugo de pœnit. disp. 13. sect. 1. §. 3. num. 34. Fagundes de *Præcept. Eccles. lib. 2. cap. 9. num. 19*. Reginaldus tom. 8. lib. 28. num. 2. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 1. punct. 2. Villalobos tom. 1. t. 9. diff. 5. n. 3. Ylambert *prop. 2. n. 7*. Chellifonius in 3. part. q. 84. art. 3. dub. 3. & ibi Pefantius, & Nugnus, Sayrus de Sacram. in genere lib. 1. cap. 3. part. 5. §. In pœnitentia Sacramento. Molfesius in *Summa, tom. 1. tract. 7. c. 5. n. 26*. Filliucius tom. 1. tr. 6. c. n. 61. Caltrus Palau tom. 4. tr. 23. punct. 5. num. 2.

3. Probatur hæc opinio, quia ea tantum verba sunt essentialia formæ alicujus Sacramenti, quæ proprium ejus effectum determinatè significant, prout conjunguntur propriæ suæ materiæ modo sibi debito, ut patet ex formis omnium aliorum Sacramentorum novæ legis; atqui sola ista duo verba, *Absolvo te*, prout juridicè pronuntiantur à Sacerdote supra pœnitentem, statim post explicationem peccatorum in confessione Sacramentali factam, significant determinatè remissionem peccatorum, quæ est proprius effectus Sacramenti pœnitentiæ, omnis omnibus aliis verbis tam antecedentibus quàm consequentibus. Præterea conjunguntur suæ materiæ modo convenienti Sacramento pœnitentiæ, quatenus illud est in forma judicii, in quo accusatio rei, & cognitio criminum ejus debet præcedere, tum pronuntiatio sententiæ absolutoriæ subsequitur; igitur sola ista verba *Absolvo te*, sunt de essentia Sacramenti pœnitentiæ.

4. Dico igitur verbum, *Absolvo*, amplam habere significationem, & ad varia determinabilem, quæ ex intentione præferentis possit ad hanc, vel illam si-

gnificationem determinari, & ex subjecta materia potest secundum usum communem cognosci accipi in determinata significatione, scilicet, vel pro absolutione à peccatis, vel pro absolutione à censuris, vel pro absolutione à pœnis & proinde quando in hoc judicio dicitur, *Absolvo te*, ex vi communi, verbum *Absolvo*, satis determinatè significat absolutionem à peccatis, cum significatio illius in hoc Sacramento adapteur juxta exigentiam materiæ quam recipit, & cujus remissio petitur in hoc Sacramento. Confirmatur, quia si quis petat absolutionem à censura, sufficienter absolvetur etiam per illa verba, *Absolvo te*, quia illa verba, præsupposita explicatione censure, sufficienter determinatè significant absolutionem à censura. Itaque cum ea tantum verba constituent essentialiam formam Sacramenti, quæ cum adjunctis circumstantiis exprimit principalem effectum Sacramenti; ita sunt hæc verba, *Absolvo te*, in forma Sacramenti pœnitentiæ; ergo hæc tantum constituent essentialiam formæ hujus Sacramenti. Major constat, nam verba quoad significationem sumenda sunt secundum omnes circumstantias quas habent adjunctas, & secundum quas ex communi hominum institutione, determinantur ad significandum, ut patet in illa forma Baptismi corruptè prolata. *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ ex declaratione Zachariæ Papæ valida, est, eo quod prolata in talibus circumstantiis, ex communi hominum sensu significant mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quæ tamen sub aliis circumstantiis prolata, illud non significarent. Pari igitur ratione, verba hæc, *Absolvo te*, etsi ex se indifferentia sint, ad significandam tam absolutionem à censura, quàm à peccatis, prolata tamen supra pœnitentem, quia sua peccata confessus est Sacerdoti, determinatur ad significandam absolutionem à peccatis, qui est principalis effectus hujus Sacramenti. Unde ex his patet responsio ad argumenta Pasqualigi, & Mercuri: nam licet verbum, *Absolvo*, indifferens sit, determinari potest ex intentione ministri, & confessione pœnitentis ut solutionem vinculi peccatorum significet sicut si coram judice siteretur reus catenis ligatus, eo ipso quod judex præciperet eum solvi, non dubitaret velle, ut à catenarum vinculis solvatur: sicut etiam cum Lazarum sulcatum præcepit Dominus Jesus Christus, *Joan. 11. solvi*, sufficienter significavit vincula, quibus tanquam mortuus ligatus fuerat, ut sepeliretur. Et idèd cum ex Dialecticis attributum in enunciatione attrahit à se subjectum, idèd determinat ejus significatum, designando pro quo illud supponatur; sic etiam in oratione practica ejus conjunctio ad hanc, & istam materiam in particulari determinat illius formale significatum cadere supra hanc, & istam materiam in particulari: sed hæc forma, *Ego te absolvo*, est quædam oratio practica, est enim Sacramentalis, & proinde effectiva illius quod significat, & dum juridicè pronuntiat à Sacerdote, statim post accusationem peccatorum factam à pœnitente pro obtinenda remissione peccatorum quoad culpam, ei conjungitur tanquam suæ speciali materiæ; ergo hac sui conjunctione ad accusationem, seu confessionem peccatorum determinat practicum formale ejus significatum, esse remissionem peccatorum quoad culpam: nec proinde ad essentiam istius formæ opus est addere hanc particulam, *A peccatis tuis*. Et hoc potest illustrari exemplo familiari. Egger aliquis accedit ad medium, cui morbum, morbiq; causas, symptomata, & id genus cætera accurate explicat: si peritus ille medicus, his auditis, statim subjiciat, *Tu sano*, hoc verbum rectè intelligitur dici propriè solummodò de curatione ab illo morbo, quem egrotus ille modò exposuit medicos

De Absolut. Sacramentali. Resol. VI. 227

& ad istud significandum non fuit opus medicum ad-
dere hanc particulam, *ab hac tua infirmitate*; quia ex
communis usu loquendi id satis intelligitur, cum sit
quædam responsio medici ad inquisitionem agroti:
responsio autem, & interrogatio intelliguntur
esse de uno, & eodem; sed sacramentalis confessio
pœnitentis est dolorosa explicatio, & accusatio
morborum animæ ejus, inquirentis à Sacerdote gra-
tiam sanantem per beneficium absolutionis juridi-
cæ: ergo ad practicam significationem verborum
formæ istius, *Ego te absolvo*, sic statim pronunciatum,
sequitur sufficiens expressio ejusmodi effectus
proprij hujus Sacramenti, & per consequens hæc
verba, *A peccatis tuis*, non sunt de essentia formæ
Sacramenti Pœnitentiæ. Unde ex his, ut dixi, re-
manent soluta argumenta à Pasqualigo, & aliis in
contrarium adducta.

5. Sed quid dicendum si Sacerdos diceret solum,
Absolvo? Respondeo, absolutionem esse nullam;
quicquid asserat Henriquez, & alij. Et an talis con-
fessarius esset denunciandus Sancto Officio; vide no-
villimè Marantam in suis *Responsionibus*, tom. 5. resp.
58. n. 21. cum seqq. qui adducit censuram Patrum So-
cietatis, assentientium, dictam opinionem esse falsam,
& contra communem, non autem hæreticam. Dicen-
dum est igitur, quod si aliquis Sacerdos pœnitentem
absolvens diceret tantum, *Absolvo*, sine aliqua ex-
plicatione subjecti, in quod cadit absolutio, nullum fa-
ceret Sacramentum. Et ratio hujus est, quia absolu-
tio, si remissio debet significari, & applicari in
particulari, & practicè, non autem in abstracto, non
declarando cui applicatur: unde *ly Tè*, siue nomen
proprium pœnitentis, siue aliud æquivalens necessa-
rio est exprimendum in forma; nam absolutio est ju-
dicialis sententia, quæ dirigenda est ad reum, & in
eam est terminanda, dicendo autem simpliciter, *Ab-
solvo*, sine designatione pœnitentis absoluti, non
valet, ut est communis sententia. Nec valet dicere,
sufficere in casu Sacerdotis intentionem absolvendi,
quæ dirigatur ad pœnitentem; nam ex antecedenti-
bus, & consequentibus satis apparet pœnitentem
presentem à peccatis confessis absolvi: ergo Res-
pondetur: intentionem non sufficere, quia talis non
est sensibilis, alioquin nec verba essent necessaria, si
sufficeret simpliciter Sacerdotis intentio, quod quid-
dem falsum est; quapropter si omitatur particula
illa, *Te*, sine alio æquivalente, mutatur forma sub-
stantialiter; nam forma absolutionis instituta est per
verba demonstrativa. Concludimus ergo verba illa,
Absolvo te, esse necessaria, & essentialia, cum
utrumque necessarium sit ad effectum Sacramenti
significandum; actus enim judicialis non potest si-
gnificari sine verbo; *Absolvo*, & remissio non fit
practicè, si non declaretur persona, cui fit remissio,
& absolutio.

RESOL. VI.

An quando dicitur verba à peccatis tuis, apponuntur,
causant effectum principalem Sacramenti, tanquam
pars formæ? Ex part. 1. tractat. 6. & Misc. 6.
Ref. 12.

§. 1. Affirmativè respondet Joannes Præpositus
in 3. part. 9. de forma Sacram. pœnit. dub. 1.
n. 6. quia licet verbum, *Absolvo*, possit per inten-
tionem ministri determinari ad absolutionem à pec-
catis, etiam sine alio addito, tamen significatio illius
verbi non est determinata, ut per eundem ministri
intentionem non possit relinqui in suo modo signi-
ficandi confuso, & determinabili per particulas ad-

jectas, *A peccatis tuis*, quo casu constat ante ad-
ventum particularum, sensum formæ non esse legiti-
mum & completum, prout Christus instituit, &
proinde posse per illarum adventum compleri, & si-
gnificationem verbi determinari ad absolutionem à
peccatis. Ita Præpositus.

2. Sed negativè sententiæ adhæret Cardinalis Lu-
go de *Sacr. pœnit. disp. 13. sect. 2. §. 1. n. 34.* ubi sic ait:
Verius videtur etiam quando de facto adduntur illæ
voces, *A peccatis tuis*, non concurrere ad effectum,
sed hanc dari ante earum prolationem, quam sen-
tentiam tenet Suarez, ubi *supr. n. 20.* cum aliis recen-
tioribus. Ratio autem sumitur ex principio opposi-
to, quia scilicet ante adjunctionem illorum verbo-
rum, jam in rigore propositio est absoluta, & perfe-
cta per priora verba, quæ reddunt sensum perfectum,
& significant totum objectum; verba autem poste-
riora deserviunt solum ad idem clarius significan-
dum: quare sicut in prolatione ultimæ syllabæ re-
quisitæ, non debet ad effectum expectari totum tem-
pus, quo durat prolatio illius syllabæ; hæc enim po-
test protrahi, præsertim si canetur, sed statim in pri-
ma prolatione illius syllabæ fit effectus, quia jam
tunc significatur sufficenter, & illa prolatio, seu
continuatio prolationis, non significat aliquid no-
vum, sed clarius, & melius significat idem obje-
ctum: sic prolatio verborum, *A peccatis tuis*, non est
expectanda propter eandem rationem, quia nimi-
rum ante illam habet jam sensum, & illa verba non
significant aliquid novum, sed idem clarius & me-
lius, & licet verba in propositione de presenti non
debeant significare objectum præsens pro toto tem-
pore ab initio prolationis, ut constat ex verbis con-
secrationis, sed præsens in fine prolationis; hoc au-
tem intelligitur de fine prolationis, non quidem
quando profertur ultimum verbum materiale illius
propositionis, seu quando profertur ultimum, quod
requiritur ad exprimendum sensum illius proposi-
tionis; tunc enim debet esse objectum præsens;
quare licet postea sequamur alia verba, quibus magis
explicetur idem sensus, attendi tamen debet ad
tempus, quo primum fuit sufficenter significatus,
tunc enim fuit jam propositio prolata in toto rigore.
Hucusque Lugo.

3. Ego autem in hac difficultate assero eum Amico
in *cur. theol. 10. 8. d. 1. sect. 2. n. 23.* quod si pœnitens
non sit dispositus nisi in fine prolationis illorū ver-
borum, *A peccatis tuis*, in prolatione horum verbo-
rum accipit gratiam Sacramentalem. Probatur nostra
assertio, quoniam hæc verba, *A peccatis tuis*, parti-
cipant eandem significationem, quam habent verba
essentialia, *Absolvo te*, quia quod essentialia dicunt
implicite, hæc dicunt explicite, ac proinde participat
eandem virtutem causandi; nam verba Sacramenta-
lia ex institutione Christi efficiunt quod significant.
Et ideo in hoc tantum sensu veram censeo senten-
tiam Vasquez, & aliorum, quorum quod hæc verba
addita essentialibus causant effectum Sacramenti,
non autem in casu quo pœnitens repetiatur disposi-
tus in prolatione præcedentium verborum, *Ego te
absolvo*: nam tunc effectus Sacramenti causatur in
prolatione tantum præcedentium verborum: tum
quia Sacramenta suum effectum causant ad instar
causarum naturalium, quæ statim ac sunt, si impedi-
mentum non habeant suum effectum causant, tum
quia alioqui sequeretur, posse pœnitentem sus-
cepto integro, ac valido Sacramento Pœnitentiæ
damnari, si nimirum statim post illa verba *Ab-
solvo te*, nondum prolatis, *A peccatis tuis*, in qui-
bus secundum Vasquez confertur effectus hujus
Sacramenti, pœnitens moreretur: cum in termino
mortis non sit capax effectus Sacramenti, & con-
sequenter,